





K 3.46 OKT R



TILEMANNI STELLÆ  
Sigenensis.

6

METHODVS,  
QVÆ IN CHOROGRAP-  
HICA ET HISTORICA TOTI-  
us Germanie Descriptione  
obseruabitur.



RÖSTOCHII 8.

Ex Officina Typographica  
Iacobi Transylvani.

Anno M. D. XLVI.





TILEMANNI STELLAE  
SIGENENSIS

METHODVS, QVÆ IN CHORO-  
graphica & Historica totius Germanie  
descriptio obseruabitur.

**T**ractatus omnis, qui ad Germania locorumq;  
& rerum in ipsa memorabilium situm histori-  
asq; illustrandas suscepimus est, duplice modo insti-  
tutus.

Primo enim uniuersa Germania secundum sua  
um uerum situm Chorographica descriptio in  
certa tabula componetur, & ad uiuum, quantum si-  
eri potest, exprimetur. Hanc rationem per longitu-  
dinem latitudinemq; locorum, item per angulos po-  
sitionis uel inclinationem in horizonte, & per distan-  
tias itinerarias, prosequemur.

Deinde addentur Commentarij, qui situm  
Germanie & res ipsius scitu digniores compendio-  
sa quadam tractatione declarabunt.

Apparatus & dispositio Char-  
te Chorographice de Germania.

I Charta ad Chorographiam Germanie assumpta  
tantam habebit amplitudinem areæ, ut omnia loca  
liberè & distinctè imponantur, ne immoda figura-

A 2 rum



um & nominum densitas ac spaciiorum angustia le-  
ciori fastidium pariant, ac sincerum intellectum  
turbent.

I I Deinde distinguetur in gradus & scrupula  
prima longitudinis & latitudinis, quorum auxilio  
singula loca Tabula inserentur, ac plurimorum loco-  
rum, præsertim in Saxonia & alibi, distantiae ab oc-  
cidente, & polarum elevationes emendabuntur,  
quas ipse examinavi, præcipue uero in locis Septen-  
trionalibus, ubi plerèq; sunt false, quod frequentissi-  
mè expertus sum. Vsurpabuntur & hoc loco aliæ  
rationes Geographicæ, quarum prima per positionis  
seu inclinationis in Horizonte angulos, rem absolvit:  
Altera, ut uerum locorum situm præstet, per uento-  
rum regiones certis spacijs distributas progrereditur.  
Tertia, per distantias itinerarias officium suum facit.

I I I Tertio, Termīni quos habebunt quatuor  
latera Germaniae erunt, uersus orientem, Regius  
mons Prusie, & Vicina Austriae, uersus meridiem  
Venetie & Tridentum, ad occasum, Caletus portus,  
ad septentrionem Coldinga in Cimbrica Chersoneso,  
& Hafnia Danie metropolis.

I I I I Quarto, imponentur Vrbes, Oppida, Vi-  
ci, Arces, Castella, Monasteria, Item & pagi qua-  
dam insigniori historia celebres, & singula suis cer-  
tis signis inter se diligenter discernentur, ut alterū  
præ altero facile cognoscatur. Habebunt, & Vrbes  
Imperiij



imperij libere suas peculiares notas, similiter et Coa-  
mitatus et Episcopatus. Item et oppida sub Anze-  
fodere comprehensa.

V Quinto, montanorum et fluviorum diligens  
descriptio elaborabitur, nec non et insigniores syl-  
ue experimentur, et loca, ubi Therme sunt et Me-  
tallorum fodine, suis proprijs characteribus inno-  
scant.

VI Sexto, maiores partes uel regiones Germanie  
in ambitu suo maioribus signis uel punctis disser-  
nentur, et singularum situs expressè demonstrabis-  
tur. Ad eundem modum et ipsarum Prouincie, Re-  
gna, Ducatus, Marchionatus, Comitatus Prouincia-  
les et alij: Item et Diceeses suis certis minoribusq;  
notis tanquam limitibus circumscribentur, et inter-  
se distinguentur.

VII Septimo, omnibus illustrioribus regionibus  
et locis, que sub Imperij ordinibus continentur, sua  
arma uel insignia appingentur, idq; honoris, utilita-  
tis, et ornatus causa fiet.

VIII Octavo et ultimo, addetur et schala  
diuersorum mil'iarium, per quam singulorum locorum  
in quacunq; itinerariarum distantiarum specie in-  
tercapedo cognoscetur.

Talis erit descriptio Germaniae uniuersali tabula  
comprehensa, que preter plurimas et maximas uti-  
litates hanc quoq; habebit, ut totius Prouinciae situs



uno intuitu comprehendatur, & memorie imprimitur. Ceterum singulæ maiores Germaniæ regiones, in suis particularibus tabulis seorsim edentur, quæ fortasse interdum continebunt ea, quæ uniuersalis tabula capere non potuit, & in commentariis usum habebunt. Nam ibidem singularum enarrationibus & historijs sui peculiares typi Chorographicci præponentur, ut unum ex altero lucem sumat, & lectoris intellectum mutua opera iuuent.

### Ordo commentariorum de situ & celebrioribus Historijs Germaniæ.

Tota materia de origine, antiquitate, situ, locis, & populis Germaniæ, nouē libris comprehendetur. I Primus continebit dedicationem, p̄fationem ad lectorem, commendationem operis ab ipsius amplitudine & difficultate, à laboribus, periculis, & sumptibus, quæ in ipso colligendo & eo usq; perducendo perpeccus sum, & impendi.

Deinde diluet crimina, quæ huic professioni ab indoctis & nasutulis plerunq; obiciuntur. Postea illustribus testimonij declarabit utilitatem & laudem doctrine Geographice & præsertim huius operis, quem fructum studiosus lector & amator historiarum inde percipere posset. Similiter quodd locorum cognitione ad historiarum lectionem extremitate sit necessaria.

Deinde



Deinde ex ordine recipiabit omnes scriptores Germanie, tam antiquos, quam recentes, quacunq; linea  
qua hi scripsierint, & ostendet, quid quilibet boni in  
hac materia præstiterit, quidue neglexerit, unde  
horum uel certitudo, uel errores orti sint, quid de  
singulis existimandum, & quātum fidei cuilibet sit  
tribuendum.

Porro cum in materia, cuius ueritas in dubium  
uocatur, quedam sint, in quibus manifesti errores de-  
præhēduntur, quedam etiam ita uersentur in dubio,  
ut de ipsis plures & variae sententiae probabiliter  
proferri possint.

Iam quōd ad errores attinet, quales sunt, de Sue-  
uo fluvio & de tota fere Saxonia, atq; littore Bal-  
uirili candidē & modestē ostendentur, quod absq;  
ullius contumelia fiet, haud enim quisquam est in ila-  
lo ordine, cui licet omnino exilem operam præstite-  
rit, non sua laus & gratia debeantur.

Bonus interdum dormitat Homerus, & humanū  
est errare, neq; ego nullos errores, etiamsi summa  
diligentia ipsos euitem, polliceri possum. Prodest  
autem uerū discernere à falso, & nosse errata, quo  
circa communis utilitatis hac in re ratio habebitur,  
neq; cuiusquam dignitas & authoritas uiolabuntur.  
In diuersis uero de una re sententijs uel doctissimorū  
uel plurium, uel magis probabilem opinionē sequar:  
hoc in loco experientia mea aliquid proderit. De-



hinc idem liber rationem, quam ueteres in constituta  
endis & promouēdis limitibus obseruarūt, exponet.  
Tandem de itinerarijs distantijs, ac earundem uarie-  
tate & discriminē, mentionem faciet.

I I Secundus liber proponet Generalia de Germa-  
nia, de ipsius prima origine, de antiquitate, de situ,  
de amplitudine regionis, de omnibus appellationibus  
quibus antiqui Scriptores in ipsa illustranda sunt usi,  
quibusq; adhuc hodie omnes gentes in tota Europa  
utuntur, quando Germaniae eiusq; incolarum memi-  
nerunt, omnium horum uocabulorū rationem, quan-  
tum fieri potest, etiam patefacit. Deinde primos  
ipsius cultores significabit. Item & edocebit, que  
Colonie, ex Germanico solo procreatae, exteras Pro-  
uincias inuaserint, & quas Orbis partes afflixerint  
& uastauerint, qui populi alienigenæ intra Germa-  
nicos limites sese ingesserint, & ueteres Colonos  
Germanos ex suis auitis sedibus propulsauerint &  
profligauerint. Item qui Germani & quomodo solū  
intra sua septa mutauerint. Deinde antiqui limites  
Germanie describentur. Videlicet, quousq; Maiorū  
memoria puenire potest, & quātenus omnes fide di-  
gne Historie hisce de rebus testificari possūt, ac quo-  
modo fines Germanie ab una parte occupati & co-  
erctati, uicissim ab alio latere amplificati & propa-  
gati fuerint. Hoc etiam in loco hodierni limites Ger-  
manie uerē demonstrabuntur, quicunq; illi sint, &  
quo pacto ad quatuor Mundi plagas sese extendat.

Demum



Denum de Germanicarum appellationum, que ad  
loca spectant, varietate, terminatione, & etymolo-  
gia aliquid dicetur. Cum et huius rei notitia ad in-  
stitutum hoc non parum profit. In hanc tractationē  
Germanica, Gallica, & Vandalica seu Slauica uoca-  
bula coincident. Nam Gallia Belgica, ab antiquissi-  
ma memoria cessit in ius Germanicum, & Slavorū  
regiones etiam ab illis ipsis Germanis antē aliquot  
secula sunt occupatae.

I I I. Quoniam autem regionum diuisio, secun-  
dum dignitatum, officiorumq; gradus, à maioribus  
nostris instituta est in Imperio, hęq; appellationes  
adhuc hodiè suis in rebus harent. Quales sunt, Im-  
perium, Regnum, Electoratus, Ducatus, Marchio-  
natus, Comitatus, Prouincialis & Communis. Item  
& Diœcesis, necesse erit, ut harum dignitatum offi-  
ciorumq; initia, cause & proprietates enarrantur,  
quod rebus Germanicis non parum utilitatis afferet,  
hunc laborem tertius liber suscipiet, qui & per hanc  
occasionem de Reipub. Germaniae seu totius Imperij  
Magistratibus & ordinibus plura tradet.

I I I I. Quartus liber ad particularem Germa-  
nie explicationem accedet, & primò Germaniam,  
suis limitibus definitam, in tres partes diuidet, VIZ,  
in Superiorem, Inferiorem uel Belgicam, & Saxon-  
icam. Hęc distributio & necessaria est & bene con-  
ueniens. Nam Saxonia ad Belgicum referri non po-  
test, propter suam amplitudinem, & situs ac locorū

A 5 diuersi



diuersitatem. Foret enim ista distinctio incōncinna,  
Si Gallia Belgica & Saxonia pro una portione Ger-  
maniae sumptae cum superiori tanquam altera parte  
conferretur. Cum ille magnitudine sua hanc nimium  
excedant. Quamobrem non absq; ratione has tres  
partes constituet. Deinde his ita determinatis Ger-  
maniae Superioris enarrationem suscipiet. Hec ab  
inferiore per Mosellam discernitur, & uersus Saxoniam  
limites habet iugum uel Summum Moguntiae,  
montem auium, quem accolē Vogelsbergē uocant,  
syluam Semanam uel Thuringiacam, Sudetos mon-  
tes, uel latus Bohemiae arctoum, & tractum Cara-  
pathi.

V Quintum Volumen Germaniam Inferiorem  
explicabit: hanc alias Galliam Belgicam, alias Au-  
strasiā, Sepe etiam regnum Lotharij appellant.  
Ceterum hanc à Saxonia Rhenus, à superi Germa-  
nia Mosella dirimunt.

V I In sexto libro loca Saxoniae describentur: ha-  
bebit autem hæc limites, ab occasu Rhenū, à Meris  
die montem Melibocum, uel mōtana Hassiae, hoc est  
Summum Moguntinum, Vogelsbergi dorsum, syl-  
uam Semanā uel Thuringiacam, & Sudetos uel Bo-  
hemie montes, qui Silesiae incumbunt. Itcm & iuga  
Carpathi, ab ortu Vistulam, & Sarmatiam Euro-  
pœam, que hodie Polonia dicitur, à Septentrione  
Mare Balticum, seu orientale, & Oceanum magnū  
Germanicum, quem alias mare occidentale nominat.

Montas



V I I. Montanorum, montium Separatorum  
magnarum & celebrium Syluarum historiam liber  
Septimus continebit. Hoc loco ostendentur omnia,  
quacunq; in his rebus admiratione quapiam digna  
existimantur, & recensebuntur loca, quæ Metalla  
& similia producunt.

V I I I. Octauus liber fluuiorum narrationem  
absoluet: obseruabitur autem hic modus, ut singulo-  
rum celebrium fluuiorum fontes, tractus, flexus, al-  
luiones, & aliorum cum his coniunctiones, ac demū  
illorum ostia & in maria exonerations ostendantur.  
Idem in singulis minoribus fluminibus obseruabitur.  
ita manifestum erit, quomodo & ex quibus fontib; &  
& aquarum affluxibus, quodlibet grandius flumen  
accrescat & augeatur. In eodem libro & lacuum  
insigniorum uel Stagnorum, item & Thermarum  
historie compræhendentur, Vbi etiam aquæ mirabi-  
liores, quas habet Germania, similiter & Insulæ,  
quæ Germanico littori adiacent, recensebuntur.

I X. Nonus & ultimus liber singularum gen-  
tium tam antiquarum, quam earum, quæ nostra etat-  
te Germanias colunt, origines, initia, antiquitates,  
nomina, transmigrationes, regiones, & loca com-  
pletebuntur. Hic etiam tradet, ubi locorum antiquæ  
gentes, quarum Historiae digniores mentionem faci-  
unt, commoratae sint, & qui populi nostro tempore  
eadem regiones obtineant. Ceterum in hoc toto tra-  
ctatu istiusmodi ratio obseruabitur, Ut singularum  
regnorum



Regnorum, Ducatum, Marchionatuū, Comitatuum  
Prouincialium, & aliorum, Item Diœcesium, Ur-  
bium, Oppidorum, Vicorum, Arcium, Monasterio-  
rum, & celebrium Pagorum principia, Vetustates,  
Limites, locaq; subiecta, Fundationes, Amplificatio-  
nes, Mutationes, Deuastationes, & restaurations  
enarrentur. Ac singule prouincie, uel distincta terri-  
toria et Diœceses, seorsim persua peculiaria loca, an-  
tiquo iure illis subiecta, recensrebuntur. Similiter &  
singulis locis, ubi cung; fieri potest, appellationes,  
Hebraice, Grece, Latine, Germanice, Slauice, &  
Gallice, præsertim in Belgico & Vasto regno adden-  
tur, ac nihil, quod ad rerum gestarum cognitionem  
aliquid lucis afferre poterit, hic omittetur. Singu-  
lis etiam partibus & maioribus Germanie regioni-  
bus sue particulares tabulae Chorographicae prepo-  
nentur, que plus continebunt, quam in Vniuersali  
Charta exprimi potuit, ut supra dictum est, inter  
quas etiam erunt Liuonia & Transyluania, que  
in maiori Charta propter situs sui disconuenientiam  
describi non potuerunt, neq; ab huius operis digni-  
tate & ratione alienum erit, si singulis regionibus  
sua signa coelestia, quibus ab Astrologis subiiciuntur,  
sueq; stelle uerticales attribuantur. Potest etiam fi-  
eri, ut quando ipsa tractatio in materiam inciderit,  
forma hæc uel mutetur uel materia uberior, et pecu-  
liari tractatu digna interdum sese offerat. Demum  
& patronorum adiutorumq; nomina uel singulare

Catalogo



Catalogo expressa, uel per occasionem paſſim in ope  
re dispersa adiſcentur, quod honoris causa fiet, ut  
deuina præstetur gratitudo ijs, qui de toto opere  
optimè sunt meriti, et digni, quibus perpetuas gra  
tias agant omnes, ad quos aliquis huius nostri labo  
ris uetus perueniet.

## APPENDIX.

Ad huius operis dignam absolutionem non ineptè  
addi poſſunt auctarij loco ſequentes materie.

I. Historia armorum omnium ordinum et nobilitatis totius Imperij, quæ totam de ipsis doctrinam continebit, et rationem, initium, antiquitatem, significacionem, formationem, examen et ſplendorem ipsis ſorum oſtendet. Postea omnium Imperatorum, Regum, Principum, Nobilium et Vrbium arma, quæcunq; ab initio mundi ad hæc uſq; tempora inueniri et haberi poſſunt, pulcherrimè depicteda ex ordine ſequentur, hic liber non parum utilitatis ſecum afferet.

II Catalogus nominum proprietorum Germanicorum, tam antiquorum, quam eorum, quæ iam ſunt in uſu, factus et digestus secundum ordinem Alphabeti, in quo ipsis etymologiæ secundum ſuum uerum ſenſum, quantum poſſibile fuerit, explicabitur, et cum Græcis conuerteruntur. Nam ad horum ſimilitudinem quam proximè accedunt.

III Proverbia Germanica secundum ordinem Alphabeti



Alphabeticum enarrata, hæc etiam cum sui simili-  
bus Græcis, Latinis, Gallicis, & Italicis compara-  
buntur, ut intellectus ipsorum facilior & illustrior  
reddatur.

III. Collectio omnium appellationum He-  
braicarum, Græcarum, Latinarum & Gallicarum  
quæ cum certis quibusdam uocabulis Germanicis  
cosonare, & unum ab altero descendisse, & forma-  
ta esse uidentur. Hinc quedam linguarum cōmūnio  
& affinitas demonstrabuntur. Hanc Methodum &  
rationem describendæ Germanie & si meo iudicio  
non inconuenientem neq; inelegantem fore existi-  
mem, tamen tanta est, ut me huic oneri suscipiendo  
ferendoq; minimè parem agnoscam, ac certe ipsius  
digna tractatio omnium principum & excellentium  
Virorum fauorem, Studium & operam requirit.

Si Deo Opt: Max: placuerit, ut obseruationes, quas  
bucusq; non infœliciter produxi & auxi, perficiâ,  
tantum præstabo, quantum ipse dederit iuueritq;:  
Nec dubito quin omnes homines Sapientes & boni  
uiri cum conatu meo fauorem operamq; suam sint  
coniuncturi, quos etiâ summopere peto, ut uel meli-  
orem formam seu dispositionem ostendant. Vel hanc  
liberrimè emendent augeantq; & communi patriæ  
debitum officium honoremq; præsent, cuius certe  
maxima dignitas est & amplitudo, quæ omnium  
scriptis encomijsq; celebranda sunt.

Deus



Deus Opt: Max: per suam infinitam bonitatem, Misericordiam, & peculiare auxilium diuinum clementissime faxit, ut quod hactenus maximis laboribus, periculis, & sumptibus est inchoatum & congestum, Id porro ipsius benigna gubernatione auctum & absolutum ad ipsius gloriam, Ecclesia & Reipub. honorem & utilitatem fœliciter & dignè prodeat.

FINIS.





VD16 ✓  
PIG

X



TILEMANNI STELLÆ  
Sigenensis.

6

METHODVS,  
QVÆ IN CHOROGRA  
PHICA ET HISTORICA TOTI-  
us Germaniae Descriptione  
obseruabitur.

